



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

§. 3. Ad bonitatem Dei spectat ut contemptores Dei sinantur, dum se convertere volunt, diutiùs cum suis concupiscentiis luctari.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**

## §. III.

*Ad bonitatem Dei spectat ut contemptores Dei  
sinantur, dum se convertere volunt, diutiùs  
cum suis concupiscentiis luctari.*

**M**Inus proindè ab eodem optimo  
& clementissimo Deo alienum  
censeri debet, si & impios, à quibus diu  
sæpè despectus est, sibi pro conver-  
sionis dono velit esse importunos. Hoc  
quoque ejus ad ipsos bonitatem commen-  
dat, quod eos jam surgere volentes, si-  
nat cum vitiis & concupiscentiis suis  
nonnihil adhuc luctari. Isto enim modo  
eis persuadet in quæ mala sese peccando  
præcipitârunt, ut ita ex difficultate libe-  
rationis postea diligentior sit custodia re-  
ceptæ libertatis. *In Psal. 6.* Non ergo, ait D. Augu-  
stinus, *tanquam crudelis Deus estimandus est  
cui, ( ab ejusmodi peccatrice anima  
Deum ut à vitiis suis resurgat, deprecante )  
dicitur, ET TU DOMINE USQUE QUO?  
Sed tanquam bonus persuasor anime, quid mali  
sibi ipsa pepererit. Nondum enim tam perfectè  
orat hæc anima, ut ei dici possit, ADHUC LO-  
QUENTE TE DICAM, ECCE ADSUM.  
Simul ut etiam illud agnoscat, quanta pœna im-  
piis præparetur qui se nolunt convertere ad Deum,*

fi

si tantam difficultatem convertentes patiuntur. <sup>Psal.</sup>

Rectè proindè admonet S. Gregorius: <sup>6.</sup>

Clamet & peccator, quem à Deo recedentem cu- <sup>Pœnit. v. de</sup>  
piditatum tempestas contrivit, quem malignus <sup>Profundis.</sup>

hostis absorbit, quem præsentis sæculi fluctus involvit: agnoscat se esse in profundo, ut ad Deum suâ perveniat oratio, DE PROFUNDIS CLAMAVI AD TE DOMINE. In quo notandum, quia non ait: clamo sed clamavi. Habes in hoc perseverantiæ documentum, ut si primo non exaudiris, ab oratione non deficias, imo precibus & clamori insistas. Vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci. Ideo tibi dicit: regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud.

§. IV.

Doctrina Manuductionis docens pro conversione instanter orandum, desperationem impedit potius quàm eam suscitet.

**S**ed istud, ait Appendix, aperit peccatoribus viam ad diffidentiam & desperationem. Econtra viam istam claudit, dicendum fuerat, eosquè facit confidere. Magna est enim plerumquè maxime inveterati peccatoris angustia, cum mortiferis delectati, omnibus servire consuetus, ab iisdem sese cogitat expedire.